

phantasmate format; phantasma autem excipitur ab imaginatione, quæ suas imagines ex sensibus externis colligit; sensus demum externi res ipsas *immediatè* intuentur. Ergo *a rebus* ipsis *incipit* motus, qui per continuatam nexu perpetuo causarum seriem, ad intellectum demum terminatur.

§ IV. — De naturâ intellectionis, ejusque discrimine a sensatione.

105. I. *Natura intellectionis.* — Ex probatis de intellectu agente et possibili, concludere licet intellectionem *activam* simul ac *passivam* esse, *potius* tamen activam quàm passivam. Nam quatenus ab intellectu agente initium habet, est omnino activa, cùm intellectus agens actione suâ objectum suum disponat faciatque actu intelligibile; quatenus verò intellectus possibilis speciem intelligibilem recipit, et eâ movetur ad intelligendum, præsertim passiva est; demum intellectus possibilis ipse, cùm ad objectum sese *convertit*, et intellectionem verbo interiori *exprimit* sibi, propriam activitatem exercet.

106. *Corollarium.* Hinc sequitur recentes erravisse, quorum alii cum Cartesio, Malebranchio et Rosminio voluerunt intellectum duntaxat passivum esse meramque receptivitatem; alii contrà, Kantianos secuti, fecerunt intellectum duntaxat activum. Scilicet priores, putant ideas esse aut species quasdam a Deo menti nostræ infusas, aut ipsum Deum menti sese *immediatè* manifestantem, quin ea quidquam sui in hac visione conferat. Posteriores verò asserunt objecta suæ cognitionis ab animâ vel *creari*, vel saltem *construi* et cogitationem confundi cum ipsâ re seu veritate.

Porrò, missis argumentis, quibus theoriam scholasticam probavimus, contra priores sic arguimus: Intellectionem ab animæ actione procedere testis est sensus communis et ipsa conscientia. Sentimus enim quantum a nobis *laborem* exigat opus intellectuale; quod etiam vocari solet *conceptio*, vel *partus animi*.

Contra posteriores, en argumentum: Si intellectus solus

cognitiones suas construit sibi, quin res externas et naturam exploret, ergo scientia non est objectiva, et conceptiones nostræ non versantur nisi circa ideale.

107. II. *Discrimen intellectionis a sensatione.* Hoc porrò ex triplici parte repeti potest, nimirum ex parte *subjecti*, ex parte *objecti*, et ex parte *modi* quo apprehenditur objectum a subjecto.

1° Sensus est potentia organica, intellectus autem potentia spiritualis; deinde sensus est magis passivus quàm intellectus, quia movetur ab objecto suo actu existente, dum intellectus agens objectum suum reddit actu intelligibile.

2° Sensuum objectum nihil nisi materiale et singulare exhibet, sed objectum intellectus est immateriale et universale (1). — 3° Intellectus in objectum suum fertur multis ac diversis actibus, iudicio nempe, ratiocinio et reflexione, quæ omnia sensibus minimè conveniunt.

ARTICULUS II

De diversis intellectus functionibus et actibus.

108. *Ratio et numerus variarum intellectus functionum.*

« Cùm virtus, ait D. Thomas, quantò est immaterialior, tantò ad plura se extendat, unam potentiam nihil prohibet habere plura officia, in parte intellectivâ. » (*Qq. disp. de Verit.*, q. 15, a. 2, ad 7). Quanquam varia hæc officia ad verum singula ordinantur.

Porrò intellectus non solùm primo intuitu certas notiones assequitur, sed alias cum aliis per *judicium* comparat, de aliis in alias *ratiocinando* discurrit; cognitiones suas ad *opus* applicat; quæ semel apprehendit, in seipso *servat*, sui que ipsius per reflexionem acquirit *conscientiam*. Quæ sigillatim breviter describere operæ est.

(1) Quamobrem specifica intellectus nota est *universalitas*: « Differt sensus ab intellectu, quia intellectus est universalium, quæ sunt ubique et semper; sensus autem est singularium ». (S. Th. *De sensu et sensato*, lect. 1°).

§ I. — De iudicio.

De iudicio, cujus naturam, elementa et species in Logicâ exposuimus (n. 193-197) tria impræsentiarum dicenda sunt quæ ad Anthropologiam spectant, videlicet: 1° utrùm humani intellectûs proprium sit plenam rerum cognitionem iudicando adipisci? 2° utrùm iudicium sit actus intellectûs, an voluntatis? 3° utrùm essentialiter comparativum sit, an sint iudicia non comparativa, sive instinctiva?

109. PROP. 1^a : *Intellectus humanus iudicando intelligere solet.*

1° *Prob. experientiâ.* — Nam quisque experitur se non simplici apprehensione, sed operâ comparationis et ratiocinationis adduci ut varias rerum relationes, similitudines et discrimina percipiat sicque assurgat ad scientiam.

2° *Ratione.* — Rebus imperfectis naturale est perfectionem suam nonnisi gradatim et multis actibus acquirere. Atqui intellectus noster est debilis et ultimus inter intelligentias. Ergo ei naturale est ut veritatem assequatur non in apprehensione immediatâ, sed « *componendo et dividendo*, dicit S. Thomas, scilicet comparando suas ideas, ut videat an inter se convenient necne, an conjungi vel separari debeant. — Quin etiam ratiocinatione utendum nobis est; nam veritates plures non in se intelligimus, sed in aliis a quibus derivantur. — Unde humana ratio ab angelico intellectu multùm distat, quippe quòd Angeli, ob eximiam suam perfectionem, intuitu immediato res apprehendant.

110. PROP. 2^a : *Judicium est actus intellectûs, non autem voluntatis (1).*

Probatur contra Cartesium, Malebranchium et paucos recentes qui iudicium voluntati adscribunt.

1° *Materia iudicii est verum.* Atqui verum refertur ad intellectum. Ergo iudicium referri debet ad intellectum, non autem ad voluntatem, quæ circa bonum duntaxat occupatur.

2° *Adversa opinio fovet subjectivismum et relativismum,*

(1) Cf. *La Tête et le Cœur*, 3^e part, c. 2, § 1.

quatenus repetit certitudinem a voluntate, scilicet ab internis ac variis subjecti affectionibus.

3° *Falso nititur fundamento, scilicet in imperio quod exercet voluntas in iudicia nostra, quatenus potest ea in alteram vel alteram partem flectere.* At 1 sunt iudicia ita evidentiâ, ut in iis, juxta verbum D. Thomæ, intellectus « *co-gatur ab intelligibili*, » quin voluntas in aliam partem eum possit movere. — 2 In iudiciis etiam liberis, licet voluntas movere queat intellectum ad hoc præ alio considerandum aut affirmandum, non ipsa tamen, sed solus intellectus profert iudicium.

111. PROP. 3^a : *Judicium essentialiter est comparativum, proindeque non dantur iudicia primitiva sive instinctiva.*

Recentes quidam philosophi, inter quos Reid et Cousin, arbitrantur dari iudicia quædam primitiva, quibus ferendis nulla præcedit idearum comparatio, vel quia iudicia hæc instinctu proferuntur, vel quia fieri nequit comparatio idearum, nisi una saltem sit abstracta; porrò, juxta eos, nulla est idea abstracta in hisce iudiciis, v. g.: *ego existo, sunt corpora*. Quapropter primam intellectûs operationem iudicium dicunt, non verò perceptionem sive analysisim.

At contra, in omni iudicio attributum de subjecto affirmatur vel negatur. Sed de illo affirmari aut negari nequit, nisi priùs utrumque seorsum consideretur, et deinde comparetur. Cuilibet igitur hominis iudicio, *quoties humano modo agit*, prævia est aliqua, promptissima saltem, idearum comparatio; ac proinde, prima intellectûs operatio est perceptio sive analysis, secunda, comparatio idearum, tertia, iudicium de earumdem convenientiâ vel disconvenientiâ, sive synthesis.

112. Objic. 1° mentem in iudiciis primitivis naturâ suâ determinari, et proinde *instinctu*. At contra ea est hominis natura, ut intelligentiæ lucem ducem sequatur, non instinctum (*supra*, Log. 102-104). Adversarii autem ex eo decipiuntur quòd putant nullam comparationem esse, quia fit quandoque ictu oculi, ubi agitur de rebus immediatè evidentibus.

113. Objic. 2° in iudiciis particularibus, v. g.: *sunt*

corpora, ego existo; unicam ideam inveniri, eamque concretam esse, non abstractam.

At 1° attributum a subjecto suo, in rebus creatis, realiter distinguitur; subjectum enim est naturâ suâ concretum, singulare, incommunicabile; attributum verò, licet singulare, prout in tali subjecto reperitur, est per se indifferens ut isti vel illi subjecto insit, potestque multis communicari. Quare in quolibet iudicio reperiuntur duæ ideæ, altera subjecti, altera attributi quod prædicatur de subjecto, tanquam ab eo reapse distinctum.

2° Necessarium non videtur ut in omni comparatione adsit idea aliqua abstracta; potest enim haberi comparatio inter duas notiones singulares. — Cæterum, in iudiciis singularibus, subjectum aliquando involvit ideam abstractam, scilicet *existentiæ*; attributum verò, ut plurimum, ideam abstractam præ se fert. E. g., cum dico: Socrates est philosophus, attributum designat qualitatem quæ pluribus hominibus inesse potest.

§ II. — De intellectu speculativo et practico.

114. Quum intellectus in idearum *contemplatione* sistit, dicitur *speculativus*; quum autem ad *opus* cognitionem applicat, *practicus* vocatur.

Porrò Albertus M. putavit intellectum speculativum et intellectum practicum esse duas facultates reipsa distinctas. (*De Animâ*, l. III, tract. IV, c. 4, et *De Homine*, tr. 1, q. 61, a. 4); a quâ opinione non multum recedit Kantius.

115. PROP. : *Intellectus speculativus et intellectus practicus non sunt duæ potentiæ, sed ejusdem potentiæ duo munera.*

Ex probatis, ubi de distinctione potentiarum (n. 15), differentia quæ cadit *per accidens* in objectum alicujus potentiæ, et ad quam potentia ipsa *per se* non ordinatur, eam potentiam non diversificat. Atqui intellectus per se non ordinatur ad operationem, et proinde intellectuali cogitationi accidentalis est applicatio ad opus. Unde *fine* tantum « intellectus » speculativus differt a practico, et a fine denominatur uter-

« que. » (1^a, q. 79, a. 11, c). Nempe intellectus speculativus quærit veritatem *propter se*, practicus autem *propter opus*, sed uterque veritatem respicit, quanquam prior altiori ratione eam considerat.

§ III — De intellectu et ratione.

116. Facultas quæ principia per se et immediatè nota percipit, nomen habet *intellectus*; *ratio* vocatur, quum ex notis ad ignota per discursum procedit.

117. PROP. : *Intellectus et ratio non sunt duæ potentiæ, sed ejusdem potentiæ duo munera.*

Probatum contra Kantium; nam 1° objectum intellectus idem est substantialiter atque objectum rationis, scilicet ens, quatenus immateriale et universale. — 2° Actus intellectus differt ab actu rationis, sicut intuitio a ratiocinatione. Sed hoc discrimen non facit actus specie diversos. Quòd enim aliqua veritas apprehendatur intuitione vel discursu, accidentale est cognitioni; et ita cognitio intuitiva se habet ad cognitionem discursivam, sicut perfectum ad imperfectum, *in eodem genere.*

§ IV. — De ratione superiore et inferiore.

118. Percelebris est apud Doctores nostros necnon apud theologiæ mysticæ excultores, *divisio* rationis in *superiorem* et *inferiorem*. D. Thomas utramque sic definit cum D. Augustino: Ratio superior *intendit æternis conspiciendis* aut « *consulendis* »; conspiciendis quidem, secundum quòd ea in seipsis speculatur; consulendis verò, secundum quòd ex eis accipit *regulas* agendorum. Ratio verò inferior « *intendit temporalibus rebus* » (1^a, q. 79, a. 9 c); v. g. ratio superior attendit ad æterna præmia virtutis, ratio inferior ad temporalia nocumenta vitii.

119. PROP. : *Ratio superior et ratio inferior non sunt duæ potentiæ, sed ejusdem potentiæ duo munera.*

1° Potentiæ distinguuntur ex objectis non *materialiter*, sed

formaliter inspectis. Atqui rationis superioris et inferioris objectum non formaliter differt, sed materialiter duntaxat. Sanè quidem æterna, immutabilia ac necessaria, si materialiter et in se accipiantur, toto cælo discrepant a temporalibus, mutabilibus et contingentibus; non autem si formaliter, prout nempe a ratione apprehenduntur; nam utraque considerantur prout aliquid immateriale et universale præseferunt. Quare ab invicem non differunt, nisi ut perfectum differt ab imperfecto, in eodem genere (1).

2º Ea specie non differunt, in eodem genere, quorum unum est *medium* ad cognoscendum alterum, et quorum aliud est *norma* ad iudicandum de alio. Atqui, docente D. Thomà, « temporalia et æterna comparantur ad cognitionem nostram hoc modo, quòd unum eorum est *medium* ad cognoscendum alterum. Nam secundùm viam *inventionis*, per res temporales in cognitionem devenimus æternorum; ... in viâ verò *iudicii*, per æterna jam cognita de temporalibus iudicamus et secundùm rationes æternorum temporalia disponimus. » (1ª, q. 79, a. 3, c).

§ V. — De conscientia (2).

Dicendum est 1º de notione et speciebus, 2º de naturâ, 3º de objecto conscientia, 4º de duratione actûs illius.

I. De notione et speciebus conscientia.

120. 1º *Notio conscientia*. — Conscientia *psychologica*, de qua nunc, est *potentia quâ homo se suasque operationes et affectiones spirituales et præsentis apprehendit*.

(1) « Verum necessarium et verum contingens videntur se habere sicut perfectum et imperfectum *in genere veri*; eadem autem potentia animæ cognoscimus perfecta, quâ imperfecta, in eodem genere; sicut visus percipit lucida et tenebrosa; multò igitur magis eadem potentia intellectiva cognoscit necessaria et contingentia. » (In lib. VI *Eth.*, lect. 1ª).

(2) Cf. *La Vie et l'Hérédité*, 1º part., c. 4, a. 1, § 2, n. 2; *La Tête et le Cœur*, 3º part., c. 1, a. 3.

Differt igitur a conscientia *moralis*, quæ de actionibus nostris iudicat prout ad mores referuntur. — Differt etiam a sensu *communi* qui, ut suo loco diximus (n. 57-60), percipit tantùm animæ sensationes earumque differentias.

121. 2º *Ejus species*. — D. Augustinus et post eum scholastici *dividunt* conscientiam in *habitualement* et *actualement*.

1. Conscientia habitualis ea est quâ mens non se *actu* cognoscit, sed *expedita est ad se actu cognoscendam*, eò quòd essentia sua est sibi jugiter præsens, tanquam principium ex quo actiones suæ defluunt. Cognitionem eam comparat D. Augustinus illi quam habemus per memoriam: « Quemadmodum notæ sunt res quæ memoriâ continentur, etiamsi non cogitentur, quoniam dicimus hominem nôsse litteras, etiam cùm de aliis rebus, non de litteris cogitat. » (*De Trinit.*, l. 14, c. 6, n. 8).

Quare conscientia habitualis *medium* tenet inter potentiam et *actum*: non enim est cognitio actualis, nec tamen est pura potentia cognoscendi, sed potentia immediatam *habilitatem* addit ut progrediatur ad actum cognitionis; sicut aliquis, habitu cujusdam scientia instructus, semper expeditus est ad ea quæ subsunt illi habitui percipienda.

2. Conscientia *actualis est actus ipse quo subjectum cogitans suas operationes vel affectiones et seipsum apprehendit*. Atqui obtinetur per reflexionem, ideoque sæpe *reflexionis* nomine vocatur. Homo enim spontaneo motu fertur ad agendum, et deinde *advertit* se agere et existere. Clarè D. Thomas: « In hoc aliquis percipit se animam habere et vivere, et esse, quòd percipit se sentire, et intelligere, et alia hujusmodi vitæ opera exercere. » (*Qq. dispp.*, quæst. de *Mente*, a. 8).

Quòd si intellectus in hoc reditu super seipsum, non suum actum, sed *objectum* intellectum *iterum* consideret sive cogitet, reditus iste *recogitatio* vocatur; si autem non objectum, sed *actum* suum et *modum* quo intelligit, propriè *reflexionis*, vel *conscientia* actus dicitur.

II. De naturâ conscientiæ.

122. PROP. : *Conscientia non est facultas specialis, ab intelligentiã realiter distincta.*

Probatur contra Reid, Dugald-Stewart et Balmès, quia objectum conscientiæ ab intellectûs objecto non est *formaliter* distinctum. Etenim sive subjectum cogitans seipsum, sive operationes suas apprehendat, apprehendit aliquid intelligibile; nam et subjectum cogitans immateriale est, et ipsius operationes; quidquid autem est immateriale, est etiam intelligibile, et proinde ab intellectu percipi potest. — *Confirmatur*, quia intellectus, utpote spiritualis, ejus est naturæ, ut in se reflecti possit, et quid in se peragatur intueri.

III. De objecto conscientiæ.

123. PROP. : *Omnes et solæ operationes vel affectiones spirituales sunt objectum directum conscientiæ, indirectum autem ipsum subjectum cui insunt.*

PROB. 1^a PARS. — Illud dici debet directum conscientiæ objectum, quod ipsa primò percipit. Sed conscientia primò percipit operationes vel affectiones animæ spirituales, quia ex seipsis et immediatè occurrunt reflexionis oculo.

Porrò conscientia voluntatis perinde ac intellectûs operationes attingit. Nam 1^o voluntatis operationes non sunt minùs spirituales et intelligibiles quàm operationes intellectûs. — 2^o Nil volitum nisi præcognitum, ut fert axioma; ergo voluntas non potest velle aliquid, quin hoc intellectus præcognoscat. — 3^o Quisque conscius est suæ volitionis, sicut conscius est suæ intellectionis (Cf. S. Th., 1^a, q. 87, a. 4, c. et ad 7).

PROB. 2^a PARS, nempe *solas operationes vel affectiones animæ spirituales* a conscientia apprehendi, quia aliæ operationes, sicut operationes vitales, vel sensationes ab eâ percipi non possunt. Quippe cùm conscientia idem sit atque intellectus, directè apprehendere nequit nisi immateriale et intelligibile; sed operationes vitales, aut sensationes, im-

materiales dici haud valent. — Porrò, ut probavimus supra (n. 58), sensationes percipiuntur a *sensu communi*; operationum autem vitalium cognitionem quamdam experimentalem habemus, quatenus experimur per tactum *passivum*, corpus nostrum immutari a rebus extra nos positis, et quatenus experimur a nobis exerceri quædam opera vitæ vegetativæ; unde illud S. Thomæ: « Homo experitur vitam in operibus vitæ. » (1^a 2^æ, q. 112, a. 5, ad 1).

Attamen, ut alibi monuimus (n. 88), intellectus ipse aliquam *indirectè* et *secundariò* sensationum suarum conscientiam acquirit, cùm super actum suum redit et animadvertit se intelligere per abstractionem a phantasmatibus quæ sensatione exhibentur.

PROB. 3^a PARS, videlicet ipsum subjectum *indirectè* attingi a conscientiâ.

Mens ex eo conscientiam sui acquirit, quòd percipit se agentem vel patientem. Sed eo ipso quòd percipit se tanquam agentem vel patientem, cognoscit se tanquam *principium* vel *subjectum* operationum vel affectionum suarum, proindeque *indirectè* ipsum subjectum cui insunt attingit. (Cf. *Logic.*, n. 54).

124. Attamen erravit Vacherot, cùm *naturam* ipsam animæ a conscientia percipi asseruit. Nam conscientia non est nisi *testis* eorum quæ peraguntur in animo; animi autem intima natura cognosci nequit nisi ope ratiocinii, ex naturâ operationum illius.

IV. De duratione actûs conscientiæ.

125. PROP. : *Conscientia non semper actu exercetur.*

Ut enim continuus foret conscientiæ actus, duo requirerentur: 1^o nos semper actu cogitare; 2^o cogitationis nostræ semper habere sensum. Atqui hæc duo falsa sunt.

I. *Falsum est nos semper actu cogitare*; nam 1^o argumenta quibus recentes philosophi quidam *a priori* probare tentant cogitationis perpetuæ existentiam, ex eo ducuntur quòd cogitatio vita sit animæ, nec anima possit unquam vitâ des-

titui; vel quòd essentia animæ in cogitatione reponatur. — At non sola cogitatio vita est animæ, cùm ei multæ aliæ competant vitales operationes; ac proinde licet non semper actu cogitet, non tamen omni actione vitali destituitur. — Animæ verò essentiam non consistere in cogitatione alibi probabimus.

2º Constat *a posteriori* nos non semper actu cogitare, idque, ut prætereamus infantes, quibus nullæ sunt ideæ, nobis aliquando accidit tum in somno, ut alibi ostendemus, tum in ipsâ vigiliâ. Nam quandoque in vigiliâ ipsâ intellectus actu vacat videturque obdormire, dum vel aliqua alia hominis facultas vehementius in actu suo intenditur, vel aliud quiddam mentem a cogitatione avocat.

II. *Falsum est nos semper actu conscios esse cogitationum nostrarum.* Enimvero *actualement* conscientiam sui non habet anima, nisi cùm super suos actus ope *reflexionis* revertitur. Atqui, teste ipsâ experientiâ, reflexionem hanc non semper exercet, seu debilior sit impressio quam a rebus accipit, seu tota intendat ad objectum aliquod, seu passionibus aut nimiam mobilitate teneatur, seu demum agat ipsâ vi habitudinis. Quare notat Leibnitzius observari aliquid in animâ quod circulationi sanguinis respondeat variisque viscerum internis motibus, qui apperceptionem præterlabuntur.

126. Attamen, si ageretur de conscientia tantum *habituali*, libenter concederemus illam esse perennem. Nam, ex dictis (n. 121), eo ipso quòd subjectum cogitans semper et intimè sibi præsens est cum variis suis affectionibus vel actionibus, pronum semper est ad seipsum inspiciendum vel cogitandum.

§ VI — De naturâ memoriæ intellectualis.

127. PROP. : *Memoria, quatenus intellectui convenit, non est potentia specialis, ab ipso realiter distincta.*

Existere memoriam quamdam intellectivam, a memoriâ sensitivâ, de quâ suprâ (n. 75, 76) distinctam, perspicuum est, cùm experientiâ teste, cognitiones nostras intellectuales re-

cordemur. Verùm, ut ipsa non sit facultas *specialis*, ab intellectu realiter distincta, duo sufficiunt: 1º in intellectu servari posse species rerum prius a se intellectarum; 2º eas ab ipso recognosci posse tanquam prius habitas. Atqui hæc duo constant.

Constat 1º. Si enim sensus species sensationum servare potest, *a fortiori* potest intellectus servare species rerum a se prius intellectarum. Quippe cùm sit immaterialis, immutabilioris est naturæ quàm sensus, et quod in ipso imprimatur, profundius hæret quàm quod in sensu. (Cf. S. Th., 1ª, q. 79, a. 6, c).

Constat 2º, quia intellectus apprehendere potest non solum *substantiam*, verùm etiam varias *circumstantias* sui actus, et proinde recognoscere illum, tanquam a se olim elicatum.

Confirmatur, quia sicut intellectus, vi conscientia, percipit actum suum in *præsenti*, quin conscientia sit facultas ab intellectu diversa, ita, ope memoriæ, percipere potest actum suum ut *præteritum*, quin ab eo memoria specificè differat. (Cf. S. Th., 1ª, q. 79, a. 6, ad 2).

CAPUT IV

DE POTENTIA APPETENDI

128. *Notio et species appetitûs.*

1º Appetitus in genere definitur *inclinatio entis ad aliquam rem sibi convenientem.*

2º Porrò trifariam dividitur, scilicet in *naturalem*, *sensitivum* et *rationalem*. Appetitus naturalis oritur a naturâ ipsâ, nec est aliud nisi *inclinatio cujusque rei ad suum finem*, et ad